



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1863**

XLII. Des Bischofs Friedrich von Brandenburg Ablaß für das große  
Siechenhaus vor Halberstadt, vom 17. Juli 1304.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

XLII. Des Bischofs Friedrich von Brandenburg Ablaß für das große Siechenhaus vor Halberstadt, vom 17. Juli 1304.

Fredericus, dei gracia Brandenburgensis ecclesie Episcopus, vniuersis christi fidelibus, quibus presens exhibebitur littera, Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam, ut ait apostolus, omnes nos manifestari oportet ante tribunal christi reddituri de singulis rationem, que in presenti gessimus seculo, siue bona fuerint, siue mala; oportunum est, nos diem illum tremendum pia super afflictos gestantes viscera misericordie operibus preuenire nunc seminando terrena, ut exinde metentes celestia reddente domino fructum multiplicem tunc salubriter capiamus. Sane cum domui infirmorum extra muros ciuitatis halb. non suppetant ad sustentacionem eorundem proprie facultates, vniuersitatem vestram monemus, rogamus et in domino exhortamur vobis in remissionem peccaminum iniungentes, Quatinus eisdem infirmis flagello diuine correctionis in hoc seculo cesis manus vestras adiutrices porrigentes pia subsidia prebeatis. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beate Marie virginis beatorumque apostolorum petri et pauli suffragiis et nostra a deo nobis auctoritate data confisi omnibus vere penitentibus, contritis et confessis, que dicte domui aut infirmis inibi manentibus suas elargiti fuerint elemosinas aut qui ad capellam domus eiusdem in honore beate Katerine virginis fundatam in festis infra/cryptis, videlicet natiuitatis domini, Resurrectionis, ascensionis et penthecostes, in quatuor festiuitatibus beate virginis Marie, singulorum apostolorum Martini, Nycolai, pontificum, Katerine et Cecilie virginum, in die quoque omnium sanctorum et in commemoracione omnium animarum necnon in die dedicationis ipsius cappelle vel in anniuersario eiusdem diei et singulis diebus infra octauam et in octaua predictorum festorum causa deuocionis acceperint aut qui presbiterum cum deuocione et reuerentia corpus christi ad infirmum seu infirmos portantem fuerint insecuti Etiam quicumque Cymiterium ibidem cum oracionibus in remedium animarum, quarum corpora ibi sunt sepulta, circuierint, singulis diebus, quibus hoc fecerint, precipue in extremis laborantibus, qui facultatem suarum quicquam prefatis domui et infirmis legauerint, miserint uel mitti procurauerint, Quadraginta dies et vnam Karenam de iniunctis ipsis penitentiis misericorditer et in domino presentibus relaxamus, si dyocelani consensus acceperit et voluntas. Datum anno domini Millesimo CCC<sup>o</sup> quarto, Sedecimo Kal. augusti, pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Original mit 1 Siegelfragment h. N. Siechenhof zu Halberstadt No. 36 im R. Pr.-Arch. zu Magdeburg.

XLIII. Des Bischofs Friedrich von Brandenburg Ablaß für alle, welche einem, den Leib Christi zu Kranken tragenden Priester der Marienkirche zu Halberstadt gläubig nachfolgen, vom 2. October 1304.

Nos fredericus, dei gracia Brandenburgensis ecclesie Episcopus, omnibus christi fidelibus vere penitentibus et contritis, qui sacerdotem quemcumque ecclesie sancte Marie halbersta-